

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae VIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

Quia nos diligit] Nihil enim mihi minus hominis videtur, quam non respondere in amore iis, a quibus

pronocere: ut est in epist. I. ad M. Brutum.

EPISTOLAE VIII. ARGVMENTVM.

Desperata iam reductione regis, queritur de statu rerum communium; ut ex eo Lentulus de sua ratione meditetur. itaque negotialem epistolam esse dicemus: quandoquidem ad Alexandrinum negotium tota fere narratio spectat. quiddam tamen quasi consolationis affert, cum ait: sunt quidem certe in amicorum nostrorum potestate: et cum subiungit infra: Pompeium tibi valde amicum esse cognoui. Postremo claudit epistolam spe supplicationum, et officii sui mentione: ut Lentuli dolorem, amissa regis restitucendi spe, aliqua saltem ex parte leniat.

EXPLANATIO.

De omnibus rebus] Non de regia tantum causa, sed omnino de omnibus rebus, quae ad te pertinent.

Pompeius] Consul.

Susceperit] Agendum tua causa.

Ex Emplatorio] Non agnosco Romanam gentem: et malim, ex M. Plaetorio. Plaetorii enim inter gentes Romanas noti; et M. Plaetorius praetor in orat. pro Cluent. c. 53. nominatur.

Praefuit] Praecipuam curam, dum agerentur, adhibuit.

Non facile est scribere] Cum tota ratio senatus, iudiciorum, rei totius publicae commutata sit.

Quidem certe] Ita veteres loquebantur de re satis optata, cum eam, quae erat optatior, assequi non licebat. res, inquit, communes optime se non habent, sunt tamen in amicorum nostrorum potestate. non habemus, quod volumus, ut sit optimus rerum communium status: id quidem certe habemus, quod secundo loco optandum erat, ut in amicorum nostro-

rum potestate sint. Epist. 9. Tu me consiliario, fortasse non imperitissimo, fideli quidem, et benenolo certe, usus esses. Quo loco separatim posuit, elegantiae causa, quidem, et certe: quemadmodum epist. 5. Catoni quidem, quoquo modo se res habeat, profecto resistimus.

Amicorum] Pompeii et Caesaris: addo etiam Crassum; cum quo, rogatus a Pompeio, et Caesare, a Publio praeterea, ipsius Crassi filio, redierat in gratiam. epist. sequenti, et lib. 5. epist. 8. et apud Plutarchum in Crasso.

Nullam mutationem] Vere: numquam enim postea res publica valuit.

Habitura res esse videatur] Hic est ille numerus, quem in Cicerone obtrectatores eius notabant; non quod optimus non esset; sed quod ei nimium familiaris, quasi de industria quaesitus. Tacitus in dialogo de orat. c. 23. Nolo irridere rotam fortunae, et Ius Verrinum, et illud, tertio quoque sensu in omnibus

bus pro sententia positum, Esse videatur. Quinctilianus quoque lib. 10. c. 2. *Noueram*, inquit, *quosdam*, qui se pulchre expressisse genus illud caelestis huius in dicendo viri sibi videntur, si in clausula posuissent, Esse videatur. Sane et in ea, quae proxima sequitur, idem iteratum est. Verum, ut mihi videtur, inique faciunt, qui vitiosum existimant, quod et a sententia postulatur, et aures ob numeri suauitatem oblectat, nec tamen, ut ait Tacitus, tertio quoque sensu in omnibus pro sententia ponitur.

Vt debe.] Ob eius in me merita.

Vt tunc mihi praecepisti] Cum eius in me beneficium, cuius ipse testis fueras, praedicares. In epist. sequenti: *Pompeio plurimum*, te quidem ipso praedicatore ac teste, debebam.

Vt me pietas, utilitasque cogit] *Pietas*, erga optime de me meritum: *utilitas*, cum habendam mihi rationem aliquando etiam salutis intelligam. Epist. sequenti: *Nec mihi aliter potuisse videor hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum praesidiis iis, quae semper habui, nunc etiam potentium benevolentiam coniunxissem*. *Pietatis* autem nomen erga eos etiam, qui summa in nos beneficia contulerunt, usurpari solere, diximus in epist. 1. Antiqui libri, vel, *dictas*, vel *dictas*, habent: ex quo nonnulli legunt, *dignitas* quod, ut opinor, diuersam a Ciceronis mente sententiam habet, cogebatur enim utilitate, non dignitate; quae reuocare potius ab eorum amicitia videbatur, qui de sua potentia, non de republica laborabant, et sibi non nihil, salutis causa, discedendum a dignitate, dixit in proxima episto-

la. idemque significat, cum subiungit, non libenter se rectum, et confirmatum a republica sensum deponere, et infra: *dignitatem illam consularem fortis et constantis senatoris, nihil est, quod cogitemus*. At enim, cum proxime dixerit, *ut debeo*, videtur abundare, *pietas*. Non abundat, sed augeat id, quod dixit: quod et oratorium est, et Ciceroni, oratorum omnium principi, frequentissimum. saepe enim ita debemus, ut officio moueamur potius, quam impellamur. Itaque Cicero, non se debere tantum, sed cogi etiam pietate, demonstrat; cum Pompeium in recuperanda salute ita pae-ne sui studiosum senserit, ut erga liberos parentes: in quos nomen pietatis conuenire, iam diximus.

Ad eius rationes] Ad ea, quae illi utilia sunt, quaeque ille vult. Pompeium significari, satis constat.

Putasti] Cum de me ageres.

Quam sit difficile] Indicat, se coactum sua consilia ad potentium voluntatem accommodare coepisse.

Praesertim rectum] Non enim facile boni ciues a sententia demouentur.

Confirmatum] Veterem, ac diuturnam sententiam appellauit in epistola superiore.

Ipse me confirmo] Quasi rem nouam: non tam ut saluti seruiam, quod antea non feci: quam ut optime de me merito gratiam referam. Proxime dixit: *me ad eius rationes adiungo*.

A quo honeste dissentire non possum] Cum is auctor fuerit salutis meae.

Simulatione] Quia Pompeius in ciuitate plurimum valeat.

Animi inductio] Excluditur simulatio, non tamen amor ostenditur.

tur. propterea subiungit: *et meretricule amor.*

Videantur] Magni amoris argumentum, vt voluntatem sequatur opinio.

Aduersarii] Qui optimates haberi volebant.

Concedant omnes] Cum intelligant, honeste me a Pompeio, cui tantum debeam, dissentire non posse.

Vel taceam] Transiit ad minora. nam, si conceditur, vt ea defendat, quae Pompeius velit, multo magis, vt taceat: maxime vero, vt ad studia se referat litterarum: quo videri posset, ea, quae fierent, non probare, et multo magis consulere videretur dignitati suae, quam si vel defenderet in senatu, quae Pompeius vellet, vel etiam taceret.

Per eiusdem amicitiam] Cuiroganti, vt in senatu adsim, eiusque voluntatem defendam, pro amicitia deesse non possum.

Perfuncti essemus] *Perfunctus* esse dicitur, qui ad exitum alicuius rei, siue optabilis ea sit, siue contra, iam peruenit. prioris generis exemplum hoc est: *perfungi honoribus amplissimis.* et lib. 3. de Orat. c. 2. *Qui ei annus primus ab honorum perfunctione aditum, omnium concessu, ad summam auctoritatem dabat, is eius omnem spem, atque omnia vitae consilia morte peruertit.* Et Sulpicius lib. 4. epist. 5. *Omnibus bonis prope perfunctam esse.* Posterioris generis plura et apud hunc nostrum, et apud alios exempla suppeditant. *Defungi*, valet idem, sed hoc differt, quod in malam partem semper, vt mea memoria est, accipitur: quo modo Coelius lib. 8. epist. 1. vsus est: *Et hoc mendacio, si qua pericula*

tibi impenderent, vt defungeremur, optari.

Dignitas] Quod erat praemium maximorum laborum.

Capessenda] Administranda. id enim est *capessere*. epist. sequenti: *Neque integrare mihi ad consulendum, capessere rempublicam, implicatus tenebar.* Lib. 3. de republ. apud Augustinum lib. 2. de ciu. Dei c. 21. *Omnino nulla respublica est, quoniam non est res populi, cum tyrannus eam, factione capessat.* Lib. 4. apud eundem lib. 2. c. 10. *Aeschines Atheniensis, vir eloquentissimus, cum adolescens tra-goedias attitauisset, rempublicam capessuit.*

Nulla cum grauitate] Assentiri enim iis, contra quos antea reipublicae causa fenderis, leuitatis est.

Paucis] Si pauci, quo modo ab iis frustra dissentitur? quia pauci quidem principes, Caesar, Pompeius, Crassus, sed factio eorum maxima.

Frustra] Cum etiam in senatu, qui alienior ab iis antea fuit, auctoritate plurimum valeat.

De tua ratione] De eo, quod ad te pertinet, de regia causa.

Senatus] Per quem consecuti sunt, quae ne per populum quidem sine seditione se assequi posse arbitrabantur. Populum non nominat, quia commutatus is non erat: semper enim Caesaris causam iuuat.

Otium] Satis superque habebimus, si per eos, qui rerum potiuntur, nobis licebit esse otiosus.

Praestaturi] Permittent, nihil vt agamus, et otiosa, et tranquilla vita perfruamur.

Quidam homines] In primis M. Cato, eiusque sororum viri, M. Bibulus, et L. Domitius Ahenobarbus,

bus, Caesaris, et Pompeii veteres inimici.

Dignitatem consularem] Consularium enim sententiae magnum in senatu pondus habere debent; in quo dignitas est; nunc non habent: amissa igitur dignitas est.

Fortis, et constantis] Qui nullis periculis a tuenda republica deterretur, cuius nunc fortitudinis atque constantiae neque praemium est ullum, paucis omnia tenentibus: neque fructus, quia frustra differtitur.

Ordinem coniunctissimum] Equestrem ordinem: quem ipse Cicero consul cum senatu coniunxerat. alienatus autem est a senatu Catonis opera, qui, petentibus Asianis publicanis, ut induceretur locatio vectigalium, quae, cupiditate prolapsi, nimium magno conduxerant, responsum dari passus non est: quam Caesar, anno sequenti consul, occasionem arripuit conciliandi sibi, et a senatu dislucendi ordinis equestris. de quo Suetonius in Iulio c. 20. *Publicanos, remissionem petentes, tertia mercedum parte relenuit: ac, ne in locatione novorum vectigalium immoderatus liceretur, propalam monuit.* Idem confirmat Dio lib. 38. et Appianus lib. 2. de bell. civi. Cicero autem lib. 1. ad Attic. epist. 17. plane rem exponit. *Asiani, inquit, qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se, cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse: et induceretur locatio, postulauerunt. Ego princeps in adiutoribus atque adeo secundus.* Ibidem paullo post: *Ego conseruans rationem, institutionemque nostram, tueor, ut possim, illum a me conglutinatam concordiam.* Epist. 18. *Alienati equites*

Romani. sic ille annus duo firamenta reipublicae, per me unum constituta, evertit: nam et senatus auctoritatem abiecit, et ordinem concordiam disiunxit. In eadem: *Cato miseros publicanos tertium iam mensem vexat, neque iis a senatu responsum dari patitur.* Lib. 2. ad eundem epist. 1. *Cum equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino collocaram, senatum deseruerit.* Ibidem paullo post: *Quid impudentius publicanis renunciamibus? fuit ramem, retinendi ordinis causa, facienda iactura. Restitit, et peruenit Cato.* In Catilinam autem orat. 4. c. 7. ad conseruandam senatus equitumque concordiam hortatur his verbis: *Quam coniunctionem si, in consulatu confirmatam meo, perpetuam in re publica tenuerimus: confirmo vobis, nullum posthac malum civile ac domesticum ad illam reipublicae partem esse venturum.*

Hominem clarissimum] Pompeium, quem abalienauerant a senatu, qui ea, quae ille, deuictio Mithridate, regibus, dynastis, et ciuitatibus in Asia concesserat, confirmari a senatu non permiserant: quorum princeps fuit L. Lucullus, qui sororem M. Catonis Seruiliam in matrimonio habebat, adiuantibus Catone et Metello Celere consule. ex quo Pompeius, vxore ducta Caesaris filia, facile impetrauit, ut is consul acta sua confirmaret. Appianus lib. 2. de bell. civi. Dio lib. 37. Suetonius in Iulio c. 19.

Eo consule] Non, cum erit consul, sed, quoad erit. hoc enim anno, quod iam diximus, consulatum gerebat cum M. Crasso.

Affixum] Numquam ab eo discedam, haerebo illi, ut haerent ea, quae